



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Nomina data Sanctis à Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS. III. NOMEN.

§. I.

### Propriò vocari, amoris signum.

**A**braham! Abraham! Gen. 22. 1. Expressio nominis signum est familiaritatis. Ex. 33. 12. *novi te ex nomine.* Luca. 16. Lazarum quasi familiarem nominat; divitem non. Joan. 20. 16. dixit Dominus: Maria & ipsa Rabboni id est, cognita cognoscit. Geminatio autem nominis, magnæ familiaritatis est signum. Hugo Card. hic.

*Vocari te nomine tuo.* Il. 43. 1. Alludit ad morem heroum benignorum; qui servos, quos amant, nomine propriò vocant. Sic Deus ait: *Israel veni.* Cornelius hic.

*Vocat oves nominatim.* Joan. 10. 3. Nomen homini inditum, & ab alio pronuntiatum, mirâ habet vim, ut hominem excitet sive dormientem, sive morientem. Doultreman l. 5. c. 2.

§. II.

### Nomina Christi.

**ET** vocabitur nomen ejus Emmanuel &c. Il. 7. 14. Vide, quàm pulchre, & rationalis, ordo sit hujus; & ceterorum nominum. Primum Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*: pro causa videlicet, quæ prima est in ordine; quia habitat in nobis Deus homo factus. Secundum: *Accelera, spolia detrahere &c.* Ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, & spolia distribuit. Tertium: quia *admirabilis*: videlicet, quia surrexit à mortuis, & ascendens in cælum, gloriâ, & honore, coronatus sedet à dextris Dei. Quartum *Consiliarius*: ex eo scilicet, quòd dans Paracletum Sanctum Apostolis suis, consiliium habuit cum eodem spirita consilii, de repellendis Judæis, & vocandis Gentibus. Quintum Deus: quia exinde omni modò verè adoratur ut Deus. Sextum *Fortis*: quia verè fortis in judicio, quò expectatur, apparebit. Septimum *Pater futuri sæculi* quia nimirum peractò judicio, non jam ut Dominus servorum, sed ut Pater filiorum, regnabit. Octavum *Princeps pacis* quia revera laudabitur in æternum, & grates habebit, ut author pacis; quâ Deo sumus reconciliati per mortem ejus, qui eramus inimici. Rupertus l. 1. in Matth.

*Fili David, filii Abraham.* Matth. 1. 1. O quàm disparia nomina assumit Deus in Novo Testamento, ab iis, quæ in veteri. Tunc enim plerumque vocabatur *Deus Abraham, Isaac, & Jacob*; Deus hominum justorum: quos, sicut David, peccasse nescimus. Nunc autem filius David peccatoris, filiusque Abraham justus, dicitur: quia non modò justos, sed & peccatores recipit. Diez. conc. 1. in Nat. B. V.

*Vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Matth. 1. 23. dicunt Hebræi: quomodo ergo non vocatus est Emmanuel, sed Jesus Christus? Dicendum: quòd non dixit, vocabis; sed vocabunt: hoc est, opera ejus demonstrabunt, cum Deum esse, & nobiscum conversari: divina enim Scriptura ex operibus imponit nomina Theophylactus in Matth.

§. III.

### Nomina data sanctis à Deo.

**U**bi Deus. Gen. 17. 5. Abraham ingentes glorias promittit, literam He nominis divini ejus nomini addit, ut deinceps vocaretur Abraham: ut ostenderet, non modò se bona sua ei impertiturum; verum etiam seipsum. Bæza l. 1. c. 6. §. 1.

*Et in calculo nomen novum scriptum.* Apoc. 2. 17. An non sat erat, ore enuntiarî? cur insuper scribitur? Quòd scribitur, diutius perseverat, quàm quòd ore profertur. S. Bonav. in c. 1. Luc. rectè dicitur scriptum nomen Joannis; ob indelebilem firmitatem: quia nomen ejus scriptum in libro vitæ. S. August. in Pf. 44. *lingua mea calamus scribæ.* Quare linguam suam esse dixit calamus scribæ, quia quòd linguâ dicitur, sonat, & transit; quòd scribitur, manet. Sylveira hic.

Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant. Sic Jacob Israel dicitur, quia Deum vidit. Sic D. N. Jesus nominatus est, antequam natus. S. Ambros. l. 2. in Luc. Et factum est, in die octavo &c.

§. IV.

### Nomina sancta filii data.

**Q**uem vocavit Enos. Gen. 4. 26. Non solum hic parentum monstratur pietas; sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim, & à principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur; admonentes appellationibus, quas illis imposuerant; ut virtutem exercerent; & non, sicut nunc fortuitò, & absq;te causa nomina fiunt. S. Chrysost. hom. 20. in Gen.

*Et genuit Malalael.* Gen. 5. 13. Hebr. idem est, quòd *laudans Deum*; quem pater Cainan ita vocavit; ut seipsum, ad jugem Dei laudem excitaret. Cornelius hic.

*Vocavitque nomen ejus Simeon.* Gen. 29. 33. Simeon, id est *auditio, vel exauditio.* Notent matres; & imitentur pietatem, ac gratitudinem Liæ; quæ perennem memoriam beneficii divini, putâ prolis, in nomine ejus constituit: ut, quoties prolem videret, & nominaret, toties beneficii divini recordaretur. Sic Anna vocavit Samuelem; id est, *p. stulatum, & impetratum à Deo.* 1. Reg. 1. 20.

*Quem*